



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 2. Christus, & D. Paulus iudicium temerarium prohibentes.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

lum de cælo expulit, qui Altissimum ipsum voluit de solio deturbare; aut quando crudelem regem aquis extinxit, qui in tot infantibus submersis extinguere tentavit totam gentem Hebræorum; vel quando illos dispersit, qui Filium illius, eiusdem gloriæ & diuinitatis participem, infamissimo genere mortis interimentes, in crucem sustulerunt. Itaq; Deus est *fidelis, & absq; vlla iniquitate, justus, & rectus*; quia *rectum iudicium eius*. Quid enim? an permittere debet, vt homo nullo delectu, ita temerè iudicans, aut suspicionibus sinistris alterum vulnerans impunè ferat iudicium ac suspensiones? Tunc iniustus esset, si non iudicaret, & mala non plecteret. Vt ergo & alios deterreret à temerè iudicando, & alios consolaretur, qui temerè iudicantur, disertè monuit: *Nolite iudicare, vt non iudicemini. In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini: & in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis*. Vides iudicij diuini æquitatem, humani talionem?

Deut. 32.

40.

Psal. 118.

137.

Matth. 7.

1.

§. II.

Christus & D. Paulus iudicium temerarium prohibentes.

In quæ verba ita scribit S. Augustinus: *S. Augustin de sermone*
Quia temporalia (quorum sollicitudinem
F Chri-

Domini
lib 1. c. 28.
1. Cor. 8.

Rom. 14.
3.

Ibid. c. 29.
& ep. 49.
q. 4. item
lib. 2. qq.
Euang.
cap. 8.

Christus paulò priùs prohibuerat) *in futurum procurare incertum est, quo animo fiat, cum possit simplici & duplici corde fieri, opportunè hoc loco subiecit: Nolite iudicare, ut non iudicemini. Et concludit: Non ergo reprehendimus ea, qua nec scimus, quo animo fiant; neq; etiam ista, qua manifesta sunt, ita reprehendimus, ut desperemus sanitatem.* Ad quem modum etiam D. Paulus, cum idolothytis vesci prohiberet, tamen non voluit, ut, qui illis non vescerentur, de vescentibus malè iudicarent, quia poterant, aut per ignorantiam, aut bono animo vesci. *Qui, inquit, non manducat, manducantem ne iudices.* Ad similem modum docet D. Augustinus, velle Christum, ut, quamquam ipse rerum temporalium sollicitudinem deponi iusserat, tamen eos non iudicemus, quos videmus, pro victu, & amictu sollicitos esse. Quin & pergit explicans, quod sequitur: *Sed, inquit, potest mouere, quod ait; In quo enim iudicio iudicaueritis, iudicabimini. Numquid enim, si nos temerè iudicauerimus, temerè etiam de nobis iudicabit Deus? Sed hoc dictum est, quia temeritas, qua punis alium, ipsa te puniet.* Quo modo puniet? 1. In cōscientia, quæ te arguet temeritatis. 2. Coram tribunali diuino, ad quod, alibi ostendi-

stendimus, accessisse Religiosum admodum
fidenter, nixum hac sententia: *Nolite iudicare,
& non iudicabimini*; ita utique accedent
cum magna trepidatione, qui sibi conscij
sunt, se tribunal illud iniquè inuasisse. Hinc
S. Augustinus ait: *temeritas ipsa te puniet*. Hoc
est, iudicium tuum temerarium ipsum de te
iudicabit, seu caussa erit, ut de te iudicetur:
3. Diuina Nemesis permittitur, ut in pœnam
talionis vicissim ab alijs hominibus temerè
iudicentur, qui alios temerè iudicauerunt.
Quamuis non necesse est, ut hîc spectentur
omnes iudicij qualitates, sed sola curiositas
seueritasq; iudicandi. Qua enim curiositate
atq; seueritate de alijs iudicauerimus, eadem
de nobis etiam Deus iudicabit; quia quantò
nos erga alios erimus seueriores, tantò etiã
Deum Iudicem erga nos seueriorem expe-
riemur.

§. III.

Quo iudicio uti vel non uti debeamus.

Itaque, quando dicitur: *Nolite iudicare,
ut non iudicemini*, non solùm prohibetur, ne
injurias à proximo acceptas alta mente re-
postas teneamus, aut alios non condemne-
mus; sed etiam ne iudicemus, ut S. Basilius

S Basilius
in reg.
breu. 164o